





1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10





169.

1. Bardili, Musckhardus: De extra ordinariis criminibus.
2. Bardili, Musckhardus: De injuriis.
3. Bardili, Musckhardus: De variis furborum speciebus.
4. Frommann, Joh. Ludw.: De commendatione.
5. Frommann, Joh. Ludw.: De bonum bonae fidei et stricti  
juris differentiali principis.
6. Frommann, Joh. Ludw.: De arbitrata boni viri in conven-  
tionibus, ultimis voluntatibus et aliis causis arbitra-  
riis.
7. Lamberbach, Wolfgang Adamus: De aere alieno in societate  
conjugali contracto, servando.
8. Lamberbach, Wolfgang Adamus: De ira, ejusque in jure  
effectibus.
9. Lamberbach, Wolfgang Adamus: De cancellatione, ejusque  
in jure effectibus.
10. Lamberbach, Wolfgang Adamus: De periculo rerum in succo  
satis conjugalem materiam.



1670

1. Bardili, Burchardus: De servitutibus praescriptione
2. Bardili, Burchardus: De portione statutaria conjugum  
et directa
3. Bardili, Burchardus: De recognitione instrumenti
4. Frommann, Joh. Auerus: Actionum realium et per  
sonalium . . . differentiae primariae.
5. Frommann, Joh. Auerus: Actionum realium et personalium  
. . . differentiae primariae.
6. Frommann, Johann Auerus: De his, qui rei publicae  
causa absunt.
7. Lamberbach, Wolfgang Adamus: De colore pariter  
vivo.
8. Lamberbach, Wolfgang Adamus: De testamento destitute  
2 Exempl.
9. Schenemannus, David: De oculari inspectione  
1671.
10. Bardili, Burchardus: De restitutione in integrum  
universitates



1672

- 2a et Gardili, Muschardus: De testamento nuncupativo
3. Frommann, Johannes Andreas: De statu obligationis  
divisive: Sines assignatis Capitalibus dgl. Schuld:  
post mortem probissimum primi debitoris
4. Frommann, Joh. Andreas: De contractuum nominum Torum  
et inominatorum differentiis
5. Lanterbach, Wolfgang Adamus: De aequitate et exterrione  
legis Rhodiae
6. Lanterbach, Wolfgang Adamus: De discussionibus




1077  
[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]













Compendium Juris

Practici

EXTRACTUM  
CRIMINALE

Partis

BYRCKHARDO BARDILLI

U. D. & P. P. P.

Practici

Practici

Practici

Practici


Practici

THE

Practici









13282.

AD FULGENTE ꝑ IUSTITIÆ SOLE,  
ACTIONUM  
REALIUM ET PERSONALIUM,

1670, 4.

Qua constituta & in iudicium  
introducitur,

DIFFERENTIÆ PRIMARIÆ.

*Quas*

In Nobilissima Tubingensi Universitate

PRÆSIDE

DN. JOH. ANDREA Frommann/

U. J. D. & Instit. Imper. Prof. Publ.

*Ad d. 30. Mart.*

In Auditorio Iuridico

Publicæ & placidæ disquisitioni subicit

IOHANN DAVID Frisch / Rothenb. Tub.

Tubingæ ANNO 1670.

---

LITERIS KERNERIANIS.






Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or index of some kind.







I.

**W**er Frisch in Gottes Forcht sein ganzes Leben  
führet

Der wird von Unglücks-Fall so leichtlich nicht  
berühret

Und tringet oft hindurch / hat auch das halbe Spiel  
Gewonnen / und erreicht sein vorgesehtes Ziel

Herz Frisch ist ebenfalls den Büchern obgelegen /  
Mit unverzagtem Muth / darumb Er auch den Seegen  
Mit reicher Frucht verspürth / fährt auch noch weiter  
fort /

Bis Er erlangen kan den rechten Ehren-Orth.

Wolan nun Frisch daran / was Er icht vorgenommen /  
Mit unerschrocknem Geist / gereicht zu seinem Frommen.  
Es folge bald hernach die letzte Ehren-Kron /

Von Pallas eigner Hand / zu wolverdientem Lohn.

Johann Ludwlg Krendenmann /  
J. U. L.

---

*Clarissimo Dn. Respondenti,*

**IOHANNI DAVIDI FRISCHIO,**

*Fratri & amico suo integerrimo, &c.*

II.

**N**ulla mihi calamum suadela gratia movit,  
Sed, qui sub fido corde fovetur, amor:

*Dum*





*Dum te, mi Frischi! cathedram conscendere cerno,  
Atque in Juridico docta ciere foro.*

*Ut modo, qui fixus lecto morboque gravatus  
Haeserat, in pleno disputet ille choro:*

*Sic ergo nigris miscentur poma corymbis  
Aurea, sic clarus nubila Phoebus agit.*

*Sic vernans tristes hyemes depellere suevit  
Jupiter, & luctum tollere lata solent.*

*Gratulor! Eximiis insistas ausibus, inde  
Te comitabuntur, gloria, fama, decus.*

*Sic ὀλοφύχαις gratulatur*

*Petrus Meyderlin, I. U. Stud.*

III,

**N**on trepidas, FRISCHI, pugnam dum Palladis  
agro

Committis? procul hinc; mens generosa Tibi est,  
Pulpita scande, Theseus, scuto rationis & artis  
Instructus, tuta, & victor abibis ovans.

Gratulor huic auso, pergas sic Auspice Christo,  
Pergentem Patrius jure sequetur honos.

*Candidi amoris ergo deproperabat*

*Fridericus Antonius Rösler.*

**F I N I S.**



AUSPICE CHRISTO!  
ACTIONUM  
REALIUM ET PERSONALIUM,

quâ,  
*ut ex suis causis constituta & in iudicium introducta,*  
*considerantur,*

DIFFERENTIÆ PRIMARIÆ.

*Ad §. 1. & 2. I. de Actionibus.*

Resp. JOHANN. DAVIDE *Srischen* / Rotenburg. Tub.

DIFFERUNT HÆ ACTIONES

*ut sunt constituta & in iudicium de-*  
*ducta,*

T H E S I S I.

PRIMO *Effectu*. Ubi in *Genere* quidem notandum, quòd *Reales* actiones *Personalibus* magis sint efficaces. *Sichard. ad Rubr. C. de in-  
off. test. n. 1.* pleniores ac firmiores. *Idem ad rubr. C. de R. C. n. 3.* ac ob  
id potiora sint realia iudicia personalibus. *Wesenb. π. de iudic. n. 3* non  
quidem ob *l. 25. ff. de R. I.* quam ipse & alii nonnulli ad hoc adducunt,  
refutati ab *H. Hahn. ad Wesenb. d. l.* sed quia tendunt ad id, quod, quoad  
finem & effectum, nobilius est.

De hac autem quæstione: An *Reales Personalibus* digniores sint?  
qui *Dd.* sententias examinatas videre discipit, adeat *Fachin. lib. 11. con-  
trov. iur. e. 63. per tot.*

Ex hoc autem cum *Sichardo d. l.* colligere, Principem subdito  
*personalem* actionem, non autem *realem*, auferre posse sine causa, re-  
pugnare videtur præter alia *§. ult. l. de his qui sui vel alien. jur. sunt. &  
rationibus* quas in genere cumulavit *Ar. Pinell. ad l. 2. C. de res. vend.  
cap. 2. per tot.*

II.

In *Specie* autem differunt quoad *Effectum*

I. *Introductionis in iudicium, Reo maxime comparente.* Hæc in  
*Realibus* actionibus rem facit litigiosam, aut jus aliquod in re, ubi sc. sola  
citatio facta & petitio; aut etiam preces Principi oblatae iudici insinuatæ,  
& per

*Actiones*  
*Reales*  
&  
*Personales*  
*ut*  
*Constitutæ*  
*differunt*  
PRIMUM  
*Effectu,*  
*in*  
*Genere.*

*Specie.*  
& *quidem*  
*effectu*  
I.  
*Introdu-*  
*ctionis*  
*in*  
*iudicium.*  
*Reo*  
*maximè*  
*Compa-*  
*rente.*  
†





Ad §. 1. & 2. l. de Action.

& per eum reo futuro cognita, *auth. litigiosa. C. de litig. Perez. C. eod. num. 3.*

Quod & de actionibus in rem scriptis verum esse docet Dn. Brunn. *ad d. auth. Frantzk. l. Resol. 11. n. 41. & seqq.* De quo tamen dubitari potest.

*Personalis* autem ubi instituta, ut ut de re certa, res tamen illa ne litis quidem contestatione fit litigiosa. Idque juxta veriore Dd. sententiam, ut eam laudat Bened. Carpz. *in l. F. p. 1. c. 32. d. 22. n. 5.* De qua etiam testatur Vinc. Honded. *vol. 1. p. 2. consult. 20. n. 30. & seq.* & Dn. Brunnem. *d. l.* Uti respondendo etiam eam secutus est Besold. *in consil. Tubing. p. 4. 6. 179. n. 173.* & communio rem ac receptionem esse late de ea tractans ait Frantzk. *d. l. n. 26.*

Non  
comparen-  
te.  
Vbi  
de Missio-  
ne in ejus  
bona  
& quidem  
de  
Differentia  
quoad  
Missionis  
Objectum.

III.

Reo citato non comparente, sed latitante aut contumace, differen-  
tia est quoad effectum *Missionis in bona* ejusdem ratione *objecti*. Ex pri-  
mo decreto quidem in utraque actione fit missio in bona ejus.

Verum in *Reali* actione agentem iudex non in omnia bona, sed in  
petita tantum, mittit. *l. 7. §. 17. & seqq. quib. ex causis in poss. eat. c. fin.*  
*l. ut lit. non contest. Dn. Struv. & quib. ex caus. in poss. eat. n. 36.*

At *Personali* agens Jure *Iustinian. anteriori* nempe *Dig. & Cod.* in  
omnia debitoris ejusmodi bona tum mittebatur. *l. 1. l. 2. pr. & §. 1. quib.*  
*ex caus. in poss. eat. l. 5. l. f. C. de bon. auth. jud. poss.*

Verum hoc *posteriori*, nempe *Novellarum*, jure mutatum est, &  
non nisi secundum quantitatem debiti declarati fit missio. *Nov. 53. c. 4.*  
*§. 1. & auth. qui jurat. C. eod. Sichard. ad C. quomod. & quand. jud.*

Quod quidem a nonnullis in dubium vocatur. Vid. Dn. Struv. *d. l.*  
Verum hæc sententia uti jure *Canonico* recepta in *d. c. fin. in fin.*  
*l. ut lit. non contest.* ita & *Moribus* invaluit, teste Dn. D. Lauterb. *in diff.*  
*Iur. Civ. & Würtemb. p. 1. t. 13. th. 13.* & *Provinciali Würtemb.* agnita  
est, *d. p. 1. t. 13. vers. Ueber in Personal Klagen.* cum aliqua tamen latitu-  
dine & excessu quodam, ibi: Und mag solche Einsagung in mehr güter  
denn die Hauptsunna ist / (von wegen des auffgelauffenen und noch  
aufflauffenden Unkostens) wol geschehen.

IV.

Effectum.

Sed & differentiam nonnulli comminisci volunt quoad effectum  
ipsius *missionis*, quando missum ex primo decreto in actione *Personali*  
concedunt non fieri rerum, in quas missus est, possessorem. *l. 1. l. 12. ff.*  
*quib. ex caus. in poss. l. 15. §. 20. 21. 30. ff. de damn. inf. l. 3. §. f. de acq. poss.*

At





*Different. Action. Realium & Personalium.*

At in *Reali* volunt missum statim ex primo decreto fieri possessorem & ob id secundo decreto non esse opus. Id quod latè ex *Accurs. & Speculat. disputat Wesenb. π. de damn. inf. n. 3.*

Verùm obstat iis & textuum generalitas, & juris Canon. expressa declaratio in *d. c. ult. §. in aliis. ꝛ. ut lite non contest. ibi: actor post annum constituetur verus possessor, super proprietate duntaxat adverse parti defensione legitima reservatâ.* Hahn. ad *Wes. π. d. l.*

Quam sententiam propterea amplecti noluit *Jus Prov. Wirt. p. 1. tit. 13. §. Also wo. junct. §. preced. & §. Und wird der Kläger. junct. §. prac. V.*

Id, quoad *tempus*, intra quod, ex primo decreto facta missione, is, in cujus bona facta missio, restitutionem adhuc petere potest, certum est in *Jure Justin.*, quod in *Reali* actione intra annum id liceat. *l. 8. §. 3. C. de prescr. 30. ann.*

At in *Personali* intratempus, ex arbitrio judicis, cum jure determinatum non sit, præfinitum. *l. 15. §. 21. ff. de damn. inf. l. 9. C. de bon. auth. jud. poss. Nov. 53. c. 4. §. 1. junct. l. 1. §. 2. ff. de jur. delib.*

Verùm *Canon.* jure indistinctè annus ad hoc concessus est. *d. c. ult. §. in aliis.* Quod & in *Praxi* & in *Jure Prov. Wirt. d. p. 1. tit. 14. §. So nun. receptum est.* Vid. *Dn. D. Lauterb. d. l. th. 23. Hahn. ad Wes. d. l. Dn. Struve π. quib. ex causis in poss. est. n. 37.*

*VI.*

*H.* Quoad effectum *Condemnationis* differunt in eo. *i.* quidem, ferente hoc ita earum essentiâ, in actione *Reali* judex declarat & pronunciat, in *Rei* quidem *vindicatione*: rem *Actoris* esse. *l. 35. §. 1. ff. de R. V. l. 40. §. 2. ff. de procur. §. 2. l. de off. jud. C. l. A. ꝛ. de R. V. th. 53. Petr. Jac. Aurel. in practic. aur. rubr. 74. n. 21. Harpprecht. ad §. 2. l. de act. n. 7.*

In *Hereditatis petitione*: *Actorem* heredem esse; vel controversam hereditatem ad ipsum pertinere. Idem *C. l. A. π. de her. pet. th. 80. junct. prac. 77.*

In *Confessoria*: *Actori* servitutem competere. *l. 8. §. 1. ff. si serv. vind.*

In *Hypothecaria*: Rem pignoris jure *Actori* obligatam esse. *Dn. D. Lauterb. ꝛ. de pign. §. 9. th. 62.*

In *retinenda possessionis interditiis*, e. g. *uti possidetis*: alterum litigantium, vel utrumque, fundum possidere. *l. 1. pr. l. 3. princ. & t. t. ff. uti possid. Wesenb. ꝛ. uti possid. num. 5. Vel actio-*

Intra quod  
tempus  
repetendi  
facultas  
sit  
Iure  
Civili?

Canon.?

*H.*  
Conde-  
mnationis.  
*I.*  
Quomodo  
pronunciet  
Iudex  
in  
Reali?



actorem in rei controversæ possessione vel quis esse. H. Hahn, ad W. d. l.  
Et ita consequenter.

Personali ?

Verùm in Actione *Personali* iudex declarat, non rem, sed Reum  
conventum actori obligatum esse ad hoc vel illud præstandum; aut rem  
controversam deberi. arg. princ. l. de oblig. junct. §. curare. 32. l. de  
actionibus. Goth. ad l. 14. §. 1. voc. in hoc differunt. ff. de exec. rei jud. Id  
enim in his actionibus principaliter petitur in libello, cui sententia, ut  
notum, conformis esse debet. l. 18. ff. comm. div.

Cæterùm in qualibet actione, tam *Reali*, quam *Personali*, porro ju-  
dex facta declaratione Reum condemnat in id, quod ejus actionis na-  
tura desiderat, atque secundum eandem ipsius officio incumbit. Ita, quod  
in Rei vindicatione possessionis & fructuum restitutio facienda est, id  
fit non tam jure actionis, quam officio judicis, qui omnino, ubi actor vi-  
ctor extitit, & Dominus declaratus fuit, ad ea per consequentiam con-  
demnare necesse habet. l. 9. l. 35. §. 1. l. 68. ff. de R. V. Rittershus, ad d.  
§. 1. l. de action.

VII.

2.  
Quomodo  
in  
Concurſu  
agentes  
Realibus  
Separet

2. Nullus, qui *Rei*, adhuc inter ejus, qui bonis cessit, res exister eis,  
vindicationem instituit, à iudice in concursum creditorum trahendus &  
collocandus est: ein solcher darff sich nicht, ut loquuntur, in die Gant mit  
einlassen. Tales enim cæteris creditoribus jure separationis, non præ-  
lationis, præferuntur. l. 1. C. de iur. fisci l. 38. pr. ff. de pecul. arg. l. 14. ff.  
de R. C. cum non indigeant privilegio rem suam petentes, Nov. 91. c. 1.

Unde longè tutius est, ut creditor, jus adhuc in re debita extante  
habens, ordinario jure separationem petat & *Reali* agat, ubi quidem jus  
illud in re probare potest, quam ut *Personali* ita agat, ut in concursum  
se immisceat, & sic damnosam sibi inter creditores reliquos collocatio-  
nem expectet. dd. texx. Calus eleg. in leg. 5. §. 18. ff. de tribut. act. junct.  
§. vendita. 42. l. de R. D. Plures enim habens actiones, si unam eligit,  
non electæ, non intentatæ, non attenduntur. l. 13. pr. de inst. act. l. 7. ff. si  
pars her. pet. P. Surd. consil. 4. n. 34. Ant. Gabr. comm. conclus. lib. 2.  
conclus. 2. Add. Joh. Bapt. Hodiern. contr. forens. c. 18.

Itaque vel Rei vindicatione, arg. l. 24. §. 2. de reb. auth. jud. possid.  
l. 9. §. 1. de tribut. act. Add. Hering. de fidejuss. c. 20. §. 26. n. 39. & seqq.  
Vel Hypothecariâ, si pignus in re illa creditor consecutus fuit, antequam  
illam debitor emeret aut acciperet, Dn. Struv. x. de reb. auth. jud. poss.  
th. 44. vel alia simili, agere melius erit, Hinc





*Different. Action. Realium & Personalium.*

Hinc *Rei vindicatio* supra omnes actiones *Personales* & *Hypothecarias* dicitur. Andr. Rauch, *quest. l. Civ. & Sax. p. 1. q. 6. num. 13.* Id quod latè demonstrat Bened. Carpz, *l. F. p. 1. c. 28. d. 13. & seqq.* Add. Dn. Tabor, *racem crim. ad art. 170. pag. 597.* Dn. Christoph. Phil. Richt. *de jur. & priv. cred. disput. 39. cap. 2. membr. 1.* ubi aliquot præjudicia habet.

At *Personalibus* agentes regulariter in concursum veniunt, & suis quisque in ordine locandus est, *t. t. ff. de priv. cred. J. P. Wirt, p. 1. tit. 75. rubr. de concurs. & pralat. cred.*

VIII.

3. Sed & inter ipsos creditores in concursu tutius est, *Hypothecariis*, ex hypotheca nempe, quam quis nactus est, cum res apud debitorem esset, agere, quam *Personali*, ob jus prælationis. Siquidem creditor *Personalem* actionem habens, etsi privilegiata sit (paucis exceptis, quæ in creditorum concursu ad primam classem pertinent, de quibus Dn. Struv. *de reb. aut. jud. poss. d. th. 44*) in quarta demum classe, de qua idem Dn. Struve, *d. l. th. 54.* & sic post *Hypothecarios* collocatur, *text. expr. in l. 9. C. qui pot. in pign. Joh. P. Surd. consil. 444. n. 18. Bened. Carpz, l. F. p. 1. const. 28. def. 149.*

IX.

4. In concursu insuper creditorum iudex inter eos, qui *Hypothecariis* actionibus, quæ utique in rem sunt, *l. 9. C. qui pot. in pign.* ordinem collocationis sententiâ suâ observare tenetur, ob temporis prioritatem, ita ut eum, cui prius hypotheca fuit constituta, priori in loco ponat, ex regula hîc obtinente: qui prior tempore potior in jure, *l. 11. pr. & §. 1. l. 12. §. 2. & 3. ff. l. 2. C. qui pot. in pign. C. qui prior. de R. l. in toto.* De qua videri potest Barboz. *loc. voc. prior. ax. 2. J. P. Wirt. d. l. rubr. Eingefetzte / ausdrücklich verschriebene / wie auch stillschweigende Unterpfandt. junct. rubr. seq.*

At inter eos, qui *Personalibus* egere in concursu, nullus est ordo, ex temporis prioritate: itaque adjudicandum ipsis, quod superest, secundum proportionem. *J. P. W. d. l. rubr. Gemeine Gläubiger / welche gar kein Unterpfand haben. P. Surd. consil. 144. n. 17. Perez, C. qui pot. in pign. n. 15.*

X.

5. In nullo *Reali* iudicio condemnatum, ut ut ob dolum, infamia sequitur.

*Personalibus?*

3.  
*Quomodo collocet Hypothecariis agentes & Personalibus juxta se?*

4.  
*Quomodo collocet inter se, qui egere Hypothecariis?*

*quæ Personalibus?*

5.  
*Quid de*





Infamia  
que  
condemna-  
tos interdum  
sequitur?  
tur. arg. §. 2. 1. de pœn. tem. litig. l. 1. ff. de his qui not. inf. cum etiam in con-  
ditionibus, quamvis ex famosis causis pendeant, cesset ignominia. l. 36.  
ff. de O. & A.

At Personalium actionum quædam sunt famosæ, l. 7. ff. de his qui  
not. inf. nempe quæ descendunt ex contractibus illis quatuor, quos con-  
junctim enumerat Imp. in d. §. 2. 1. de pœn. tem. litig. & J. Crus in d. l. 1.  
ff. de his qui not. inf. nempe depositi, societatis, mandati, tutelæ: in qui-  
bus, sed ob dolum, condemnati, directis quidem conventi, l. 6. §. fin. ff.  
eod. infamiâ, mediante sententiæ talis instrumento, à jure notantur. Id  
quod etiam fit in actione doli. d. §. 2. d. l. 1. l. 1. §. 4. ff. de dol. mal. nec  
non furti, vi bonor. rapt. injuriarum. d. §. 2. l. 4. §. f. ff. de his qui not.  
inf.

XI.

III. 1  
Executio-  
nis.  
Quo  
tempore fa-  
cienda  
in  
Reali,  
Iure  
Civili?  
III. Quoad Effectum Executionis inter eas hæc cernitur diffe-  
rentia. In Reali judicio, ubi de rei controversæ restitutione actum est,  
& sententia lata in rem judicatam abiit, ac Reus eandem restituendi fa-  
cultatem habet, sed non restituit, volente Actore, judex non debet resti-  
tuendi inducias condemnato concedere, sed statim manu militari, seu  
per executores litium, rem eidem, ita moras in restitutione, quam vel  
statim, vel non ita difficulter, facere poterat, nec tenti auferre. §. 2. 1. de  
off. jud. l. 68. ff. de R. V. Frantz. ad d. §. 1. l. de action. num. 56. & seq.  
Perez. C. de usur. rei jud. n. 2. Diod. Tuld. C. eod. n. 2. Illic. Ummius ad  
process. disp. 23. th. 3. post Coler. de process. execut. part. 3. c. 6. n. 14.  
& alios.

Statut.?  
Statutis tamen locorum terminus hinc inde præfigitur ad resti-  
tuendum. Jure Saxon. 14. dies, à tempore præcepti executivi, concessi  
sunt. Landr. lib. 2. art. 5. const. Elect. 32. §. ult. post Schneidew. Be-  
ned. Carpz. in proc. lur. tit. 35. art. 3. n. 3.

Wirt.?  
In hoc Ducatu à judice certum ac breve tempus, citato conde-  
mnato præfigi jubetur in J. P. W. p. 1. t. 55. §. In Vollziehung aber der Ur-  
theilen / so fere dieselbig in real Klagen ergangen / &c. Id quod forsitan  
etiam Jure Civ. ita intelligi debet, uti post Glos. in d. l. ult. verb. statu-  
tum, quam plures sentiunt, teste & ita statuente etiam Menoch. de A. l. Q.  
lib. 2. cent. 1. c. 28. n. 2. & seq.

Quòd si verò negat, se in præsentem restituere rem posse & sine fru-  
stratione tempus ad restituendum petit, tum ex humanitate judex tem-  
pus ad restituendum eidem indulget, præstitâ tamen in casum non  
factæ



*Different. Action. Realium & Personalium.*

factæ intra tempus, quod ei datum est, restitutionis, satisfactione de lictis æstimatione, §. 2. l. de offic. jud.

Aliud est si in rei petitiæ æstimationem fuerit condemnatus: tunc enim idem, quod *Personali* actione condemnatis conceditur, temporis laxamentum indulgendum est. Vinn. ad §. 2. l. de offic. jud. n. 1.

XII.

In *Personalibus* autem regulariter condemnato ad solvendum rem debitam, miserationis causâ, ut expedire interim pecuniam possit, Frantzk, ad d. §. 2. l. de offic. jud. n. 11. quadrimestres induciæ conceduntur. l. 2. l. ult. §. ult. C. de usur. rei jud. & ibi Dd. II. Umm. d. l. ubi tamen ex Zalio in l. 2. pr. de re judic. & Gailio 2. de P. P. 4. n. 23. tradit, iudicem illud tempus arctare aut prorogare posse. Quod probatur per d. l. 2. Add. l. 31. ff. eod. c. 15. §. de re judic. notatque Perez. C. de usur. rei jud. n. 1. illud tempus *Morib.* cujusque loci statutis & edictis variè coarctatum esse. Jure *Saxon.* intra terminum sex septimanarum triumque dierum. Schneidew. d. l. n. 62. Carpz. d. l. n. 8. Aliorum locorum in hoc statuta refert Dn. D. Lauterb. in *differ. iur. comm. & Wirt.* ad d. p. 1. tit. 55. th. 71. n. 5.

In hoc Ducatu *Wirtembergico* intra mensem regulariter: nisi causæ sint, quæ extensionem cognoscenti de hoc iudici suaderent, in causa momenti non levioris. J. P. W. d. l. §. Wo aber die Urtheil auff *Personal Klagen* / als umb *Schulden und dergleichen* &c. ubi Serenissimus Legislatur refert, se ex singularibus causis ad hanc juris Civilis correctionem in hoc puncto perductum esse. Et sic terminus à Lege 11. Tabb., qui Gellio teste lib. 20. c. 1. itidem unius mensis fuit, reductus est, Dn. D. Lauterb. d. l.

Cæterum quænam circa hoc punctum observanda sint, latè tractat Schneidew. ad §. quadrupli 25. l. de Act. n. 61. ubi n. 63. ex Bart. & Dd. per text. in l. 3. pr. ff. de usur. concludit, quod in merè *personalibus*, etiamsi per eas certa aliqua species petatur, hæc dilatio tamen condemnato sit indulgenda. A qua tamen sententia rectè alii recedunt, ob cessantem induciarum concessionis rationem: cum hæc non minùs, ac in *Reali* actione, res petita vel statim, vel non ita difficulter, restitui queat; pecuniæ autem, de quibus in d. l. 2. & d. l. ult. in fin. C. de usur. rei judic. & sine dubio in strictissimo significato, sermo est, difficiliùs explicari queant. Ita cum Bachov. ad d. §. 2. l. de offic. jud. verb. *sed si possessor.* sentit Frantzk, ad d. §. n. 11. & defendit Arnold, Vinn. ad d. §. n. 1.

XIII. Dis.

in  
Personali,  
Iure  
Civilis

Statutar.?

Wirtemb.?

Quid sit  
Personali  
petatur  
certa spe-  
cies?





IV.  
Liberatio-  
nis  
à  
Satisfatione.

XIII.  
Differunt tandem IV. & quoad Effectum *liberationis à satisfatione judiciali.*

*Personalem rei immobilis petitionem habens ab hac satisfatione non est immunis. l. 15. §. 4. ff. qui satisf. cog. cum fugæ suspicionem hæc actio non tollat. Non obstat l. 15. ff. de R. I. quia fictione juris id fit, ut qui actionem ad rem habet, ipsam rem habere videatur; qualis in satisfationis materia non ita habet locum, Bened. Carpz. I. F. p. 1. const. 5. def. 13. num. 4.*

SECUNDO  
differunt  
hæ actiones  
constitutæ  
Contrariis.  
Iisdem qui-  
dem, qua  
finiunt aut  
infirmant  
eas

At qui talis rei vindicationem habet, satisfidare non cogitur, arg. d. l. 15. §. 4. & l. 25. ff. de R. I. Carpz. I. F. p. 1. const. 5. def. 17. H. Hahn, ad Wes. w. qui satisf. cog. n. 11.

Primo:  
Ipso Jure.  
Ita scil.  
1.  
Morte  
Virigantium?  
An Actoris  
morte  
finiatur  
1.  
Realis?

XIV.  
Cum actiones, ex causis suis constitutæ, in genere infirmantur vel ipso jure, vel ope exceptionis, rubr. de perpet. & temp. action. & l. de Except. Frantzk, l. de perpet. action. pr. num. 1.

SECUNDO etiam quoad *extinctionem & infirmationem* hæ actiones haud parum differunt.

Et *Primò* quidem Actiones *ipso jure* finiuntur *Morte*. Ubi jam i. dicendum, quòd *Realis* actio *morte* ejus, cui *jus in re* competiit, non extinguitur. Quare *Reales* regulariter sunt activè ad heredes transitoriz: cum non sit dubium, jura in re, cum in bonis sint, ita ad heredes, utpote defunctum repræsentantes, cum suo actionis effectu transire, arg. l. 24. ff. de V. S. l. 62. ff. de R. I. l. 31. de acq. her.

*Nisi* jus in re, ex quo fluit talis actio, ex altera parte, ejus scil. cui competit, simul sit personale, & sic morte ejus finiatur. Quale jus est *servitus personalis*, e. g. usufructus. §. 2. l. de usufr. am. l. pen. C. de usufr. Cujus propterea *Confessoriam* heredes usufructuarii non habent, Oldend. class. 3. act. 4. in theor. n. 4. Ad hujusm. Personale jus referri potest & *Possessio*. l. 23. pr. ff. de acq. poss. Unde retinendæ *Possessionis* interdictum, e. g. uti possidetis: ad turbati heredes non transit. Qui ipsi tamen, licet eorum possessio turbata non sit, agere possunt certis in casibus, quos ex Fridero enumerat Coll. Jur. Arg. π. uti possid. n. 10.

Personalis,  
alia, quàm  
Injuria-  
rum?

At quædam *Personales* actiones ita transitoriz non sunt. Talis est i. *Injuriarum*, & quæ ei similis est. §. 1. l. de perpet. & temp. act. l. 1. §. 1. de priv. delict. l. 32. pr. ff. ad L. Falc. l. 13. pr. l. 15. §. 14. l. 28. ff. de Injur. §. ult. l. eod. & per ea, quæ latè tractat de hoc argumen-





*Different. Action. Realium & Personalium.*

mento prælaudatus Celeberrimus JCtus Præceptor & Patronus meus  
Dn. D. Lauterbach. *in disput. de transit. action. thes. 28.*

Cujus Ratio peculiaris est in eo, quòd, si talis actio ab injuriato  
ipso non fuit in judicium deducta, ipsa obligatio ab eo remissa & sic  
sublata censetur, per d. §. ult. l. de injur. & per dd. ll.

XV,

2. Popularis actio quælibet, arg. l. 5. §. 5. ff. de his qui dejec. arg.  
l. 7. pr. ff. de popul. act. junct. §. 3. l. de fidej. her. Coll. Jur. Arg. w. de Popularis?  
popul. act. n. 8.

Quamvis enim interdum dicantur & heredibus competere,  
ut in d. l. 5. §. f. non tamen id ita intelligendum est, quasi iisdem  
competant hereditario jure, d. l. 5. §. 5. sed quia, cum sint ex populo,  
ipforum magis interest eas institui: ob quod in concursu prælationis jus  
habent, l. 3. §. 1. ff. de popul. act. d. l. 5. §. 5. vers. dummodo sciamus.

XVI,

II. Omnis Realis actio morte finitur ejus, qui eadem conveniri pote-  
rat, possessoris nempe seu ejus, qui quacunque ratione adversario jus in  
re controversum reddebat. Adeoque nulla Realis actio est in heredes  
transitoria passivè, seu adversus defuncti talis heredes institui potest, quâ  
tales. l. 14. junct. l. 8. pr. l. 11. §. 3. ff. de publican.

Quamvis enim adversus defunctum talem efficaciter institui po-  
tuit; non tamen adversus heredem propterea, quia heres est, moveri  
potest: ut ut defunctum regulariter in juribus omnibus activis repræ-  
senter, nisi & ipse possideat, aut aliàs jus suum auctori controversum fa-  
ciat, atque sic restituendi rem, si de restitutione agitur, facultatem habeat.

Quo ipso tamen in casu non ut heres convenitur, sed ut possessor.  
textus in l. 42. ff. de R. V. aut qui aliàs auctori de jure suo in re controver-  
siam ipse movet, & sic ex sua persona: uti conveniretur alius, si posside-  
ret, etsi heres non esset. d. l. 14. ff. de publican.

Nihil enim actoris interest, quisquis sit, qui, tali defuncto,  
porrò ipsi controversiam de re sua moveat. Siquidem is actionem  
hanc contra rem magis dirigit, ipsamque persequitur, d. §. 1. l. de action.

d. l.

An  
Morte  
Rei?  
1.  
Realis?

+





Ad §. 1. & 2. l. de Action.

d. l. 19. ff. de jur. fisc. l. 25. ff. de O. & A. l. 2. C. si un. ex plur. hered. l. 2. C. de hered. act. Sichard. ad rubr. C. de her. act. in fin. Eleganter Duar. ad tit. Cod. de hered. act. Actio in rem sequitur, & datur adversus possessorem rei; quare si heres possideat, tenebitur: si non possideat, non tenebitur. Cuiusmodi scribit Sichard. ad rubr. C. d. l. in fin. Si habeam Realem actionem, tum certe possum omnem detentatorem, sive sit universalis, sive singularis successor, convenire.

Quare etsi defuncti, qui ita controversiam movit, heres locupletissimam ab eo hereditatem teneret, conventus tamen Reali, si non possideret rem controversam, aut ipse controversiam de ea faceret, ob solam exceptionem, quod non possideat, &c. absolvendus esset. per text. in d. l. 42. ff. de R. V.

Etiamsi lis cum defuncto possessore jam fuisset contestata. d. l. 42. Non obstat. l. 3. §. 11. ff. de pecal. junct. l. 49. de oblig. & act.

Hujus tamen limitationem Dn. Struv. de Rei vind. n. 11. ex d. l. 42. vers. tamen, subjicit sequentem: Quodsi post acceptum judicium possessor decesserit, ac quid à defuncto commissum fuerit, aut acciderit, quamobrem damnari deberet, heres, licet non possideat, in eadem causa est, eandemque condemnationem ex persona defuncti subit: quia in ipsum semel acceptum transfertur judicium. arg. d. l. 3. §. 1. Quomodo & adv. heredes datur, si fundi possessor ante litem contestatam dolo malo locupletior ex ea re factus sit, l. 52. ff. de rei vind.

Quinimò Libellus actionis Realis, qui in heredem tantum, ommissa possessionis mentione, conceptus esset, ut ineptus rejiceretur. Oldend. class. 3. act. 2. n. 5.

Id quod omne venit ex eo, quod, cum defunctus desinat sua morte possidere aut turbare, sufficiat, eidem in facto hoc non successisse.

Unde sicut in ipso defuncto possessore verum erat, quod scribit post Zas. Myns. ad §. 1. l. de action. n. 11. eum quidem in actione Reali obligatum esse, sed per accidens & suppositivè, i. e. per suppositam rem à qua obligatione liberari possit rem restituendo, aut aliàs, ut tradit Duaren. comm. ad tit. de O. & A. c. 8. sine dolo possidere desinendo. l. 27. §. 1. l. fin. ff. de R. V. Sic tanto magis in herede aut successore id verum erit, si nunquam rei possessionem apprehenderit, aut actori rem controversam sua contradictione effecerit.



*Different. Action. Realium & Personalium.*

XVII.

In *Personalibus* autem actionibus hæc paulò aliter se habent. Etenim eæ, quæ non sunt ex delicto, morte debitoris non finiuntur, sed regulariter in heredes ejus passivè sunt transitoria, arg. §. 1. vers. aliquando tamen. l. de perpet. & temp. act. l. 2. & t. t. C. de hered. act. Dn. D. Lauterbach. d. disp. th. 23. & seq. ubi, præter limitationes, varias etiam hujus ampliaciones adducit.

Quibus addimus, quòd regulariter sine differentia heredes conveniri possint, sive possideant quid de eo, circa quod defuncti creditor jus ad rem ejus acquisiverat, sive non. arg. l. 152. §. 3. ff. de R. l. arg. l. 3. §. 3. ff. commod. l. 7. §. 1. ff. depositi. Dn. Struve. π. de O. & A. num. 79. Sive pervenerit quid ad eos, sive non: etiamsi defunctus dolo versatus fuerit in contractu. l. 12. l. 49. ff. de oblig. & act. l. 121. §. fin. ff. de verb. oblig. d. l. 152. §. ult. ff. de Reg. jur. Bocet. class. 6. disp. 9. num. 49.

2.  
Personalis,  
qua non est  
ex  
Delicto?

XVIII.

Ex quo colligere licet, quòd actio talis *in rem*, quæ adversus defunctum institui poterat, inter heredes ejus nullatenus dividatur, sed ex omnibus heredibus, non nisi eum, qui possidet, sequatur.

De *Rei vindicatione* textus est expressus in l. 55. ff. de R. V. ubi Jctus Ulp. ita inquit: Si possessor fundi, ante judicium acceptum, duob. heredibus relictis decesserit: & ab altero ex his, qui totum fundum possidebat, totus petitus sit: quin in solidum condemnari debeat, dubitari non oportet.

An actio  
aliqua ex  
his dividatur  
inter Res  
heredes?

De *Hereditatis petitione* idem colligi potest ex l. 13. §. 3. junctâ l. 9. ff. de hered. pet. Oldend. class. 5. act. 5. in theor. n. 5.

De *Hypothecaria* autem hoc procedit, etiamsi propter obligationem personalem, tamque dividuam, instituenda venit. l. 2. C. de hered. action. l. 2. C. si unus ex plur. hered. Diod. Tuld. C. de hered. act. num. 4.

An  
Realis?

Exceptâ legali, ob legata, l. 1. C. comm. de legat. §. 2. l. de legat. introductâ, hypothecâ, quæ inter plures heredes pro hereditaria portione dividua est. per d. l. 1. in f. & ibi Dn. Brunnem. Diod. Tuld. d. l. Dn. Struv. π. de O. & A. th. 78.

At *Personales* ejusmodi actiones ipsa lege 21. Tabb. inter debitoris heredes dividuntur pro hereditariis partibus, l. 6. C. fam. herc. l. 2. l. f.

Personalis?





Ad §. 1. & 2. l. de Action.

l. f. C. de hered. act. l. 22. l. 23. ff. de relig. l. 1. C. si un. ex plur. hered.  
H. Hahn. ad W. w. fam. hercisc. n. 6.

Nec alterum ex illis onerat, si alter post minus idoneus reperiat.  
l. 33. pr. ff. de legat. 2. Perz. C. de hered. act. n. 3.

Id quod in tantum verum est, ut licet pacto onus actionis hereditarium uni heredi imposuerint ceteri, hi ipsi tamen, & singuli quidem, nihilominus à creditoribus hereditariis efficaciter conveniri queant, per textus in terminis in l. 23. C. famil. herc. l. 26. C. l. 40. §. 2. ff. de pact. Cujus ratio generalis redditur ab Impp. in l. 25. C. de pact. nempe quod debitorum pactio, creditorum petitio nec tolli nec mutari possit. Confer. Gothofr. ad d. l. 26. voc. ex lege. ubi plura.

Nisi arbiter familiae heriscundæ id fecerit, & heredes ceteri suo nomine unum substituerint, in quem, tanquam in procuratorem, seu defensorem, onus actionis transtulerint. l. 3. ff. famil. herc. Dn. Struve w. eod. n. 8. Aliàs, ut ceteri non conveniantur, delegationibus opus est, quæ interponantur. d. l. 40 §. 2. junct. §. 3. l. quib. mod. toll. obl. l. 11. ff. de novat.

Aliud tamen est, si Personalis actio sit indivisibilis: tunc enim quilibet heredum in solidum tenetur. l. 85. §. 2. in f. de V. O. Gothofr. in not. ad l. 2. C. de hered. act.

Aut si in actione bonæ fidei, quæ ad restitutionem dirigitur, unus ex heredibus rem in solidum restituendi facultatem habet. l. 3. §. heres. 3. ff. commod. Gothofr. d. l. Berlich. p. 2. concl. 2. n. 35. Diod. Tuld. d. l. n. 4.

XIX.

An  
morte Rei  
finiatur  
personalis  
ex  
Delicto?  
Regula.  
Ratio.

Cæterum Personales ex delictis (sub quibus & quasi delicta, ut sub contractibus & quasi contractus, continentur) morte debitoris, qui scil. deliquit, finiri, innumeris dicitur textibus. §. 1. l. de perpet. & temp. act. l. 1. §. 2. de priv. delict. l. 4. §. f. & LL. seqq. ff. de alien. jud. mut. causa. l. 5. §. 5. ff. de his, qui dej. l. ult. §. hac judicia. fin. ff. naut. caupon. stabul.

Nemo enim alieni criminis successor constituitur. l. 26. ff. de pæn. sed delictum immediatè personam delinquentis afficit, ut extra illam considerari non possit, ut inquit Frantzk. w. depos. n. 103. Add. Phil. Matth. ad l. 38. ff. de R. l. Besold. in consil. Tubing. part. 5. consil. 208. n. 15. Barb. locupl. voc. actiones ex delicto. ax. 1.

Nisi



*Different. Action. Realium & Personalium.*

Nisi actio ex delicto sit rei persecutoria, aut mixta, & aliquid ex eo ad heredem pervenerit: tunc enim ad id, in quantum pervenit, ex æquitate, propter *d. l. 33. ff. d. R. l. 5. ff. de calumn. l. 16. ff. quod met. caus. l. 20. l. 26. ff. de dol. mal.* actio ex delicto regulariter institui potest. Vid. *l. un. C. ex delict. defunct. l. 23. §. 8. ff. ad L. Aquil. d. l. 5. ff. de calumn. l. 4. inf. ff. d. inc. ruin. & naufr. l. 21. §. pen. ff. rerum amot. junct. l. ult. C. eod. Bocet. class. 6. disp. 9. n. 52. & 58.*

Dico regulariter.

Excipitur enim actio vi bonorum rapt. *l. 2. §. fin. ff. vi bon. rapt. Bocet. d. l. n. 59.*

Rationes hujus videri possunt apud Dn. Tabor. *racem. 7. th 23.*

Sed & omnia hæc latè discussa sunt à Dn. D. Lauterbach. *d. disp. th. 31. & seqq.* ubi maximè de rei persecutoriis ex delicto, contra Arnold. Vinn. *ad §. 1. l. de perpet. & temp. act. & alios,* disputat.

Id addendum, quòd lite contestata semel actiones activè & passivè transeant. per *§. 1. vs. pœnales. l. de perpet. & temp. act. l. un. C. ex delict. defunct. & per alios text. citatos à Bocet. cl. 6. disput. 9. n. 57.*

XX.

II. Actiones quoque ipso jure extinguuntur *temporis lege præfiniti lapsu seu præscriptione.* Hic ergo notandum, quòd actiones merè Reales lapsu temporis citiùs extinguuntur, quàm Personales, idque propter rei, quæ iis petitur, usucapionem aut præscriptionem.

Hæ enim, Personales nempe, si sunt Civiles, aut Prætorix quidem, rei persecutorix, non rescissoriæ (de prætorix ex delictis rei persecutoriis vid. *l. 21. §. 5. rerum amot. l. 6. junct. l. 4. §. f. ff. de alien. jud. mut. causa. Bachov. de action. disp. 5. th. 6.*) regulariter sunt perpetuæ & sic usque ad 30. annos vivendi spacium habent. *princ. l. de perp. & temp. act. l. 35. ff. de O. & A. l. 3. C. de præsc. 30. vel 40. ann.*

XXI.

At *Rei vindicatio*, si non mota fuit contra eum, qui in rei controversæ usucapiendi conditione constitutus erat, impletâ semel usucapione, (quod fit vel triennio, si res est mobilis; si est immobilis, decennio inter præsentcs, vicennio inter absentes. *l. 9. l. f. C. de long. temp. præscr. l. un. C. de usucap. transform. princ. l. de usuc.*) præscribitur, & sic minore spacio, Fachin. *lib. 11. controuv. cap. 63. vers. tertio,* extinguitur.

Quan-

Limitatio.

1.

Limitationis  
hujus

exceptio

2.

II.

Finiuntur  
ipso jure  
actiones

&

Temporis  
lapsu.

Quomodo  
Personales?

Reales?





*Ad §. 1. & 2. I. de Action.*

Quamquam, accuratius loquendo, non lapsu temporis, sed quòd per usucapionem possessoris dominium suum Dominus amisit, & sic causa Rei vindicationis sublata est. *l. 4. C. in quib. caus. cess. long. temp. presc. l. 7. C. de hered. pet. d. l. un. C. de usuc. transform.*

Id quod etiam fit in actionibus *Personalibus in rem scriptis*, quæ & in hoc naturam *Realium* sortiuntur, post *Gloss. Bart & alios H. Gabriel. consil. 8. n. 22.*

Sic *Confessoria* actio, cum *servitus rustica* solo non usu extinguatur 10. vel 20. annis, ubi quotidie eam exercendi facultas fuit. *l. pen. C. de serv. ubi verò intermediis, longioribus tamen, quàm dierum, intervallis, duplicato tempore. l. 7. ff. quem. serv. amitt. l. ult. C. de serv. Urbana verò d. 10. vel 20. annis, ubi simul factum aliquod, quod interruptæ patientiæ argumentum sit, intercesserit. l. 6. l. 7. ff. de servit. l. 18. §. f. quem. serv. am. l. 4. §. ult. ff. de usuc. idcirco, amissâ ita servitute, non potest non & ipsa esse extincta: causâ quippe ejus ita sublata. *Frantz. π. quem serv. amitt. n. 31.**

De *Hypothecaria* quid juris sit, potest videri in *l. 1. l. 2. C. si adv. cred. presc. opp. & ibi Dn. Brunnem. ac Dd. l. f. C. de O. & A. Menoch. de recup. pos. rem. 15. n. 70. Neguz. de pignor. membr. 2. part. princ.*

XXII.

*Illustratio  
horund.*

Eleganter hæc illustrat *l. 19. princ. ff. quem serv. am.* ubi casus ille proponitur: Si vendidero partem fundi, & lege contractus caverim, ut in reliquum fundum per eam aquam ducerem, & statutum tempus ad amittendum servitutem intercesserit, antequam rivum facerem, quid juris sit? an jus agendi habeam? & deciditur, quod habeam utique, non obstante elapso illo tempore, quo aliàs servitutes constitutæ, ut dictum, amittuntur.

*Ratio decidendi* autem in eo ponitur, quòd, hoc in casu, nondum mihi constituta fuerit servitus, ut ita eo tempore amitti non potuerit, & simul jus agendi *confessoria*; sed quòd pacto, contractui venditionis adjecto, obligationem, ad eam mihi, adhuc constituendam, acquisiverim, juxta *l. 3. princ. ff. de O & A. & sic Personalem tantum habeam actionem. d. l. 3. pr. junct. pr. I. de Action. quæ, tam brevi tempore, & non utendo, non amittatur, uti amitteretur *Realis*, si jus in re jam semel constitutum fuisset, & sic actio *Realis* competiisset. *Add. d. l. 19. §. 1. ff. quem. serv. am.**

XXIII, Ex



Ex hoc est, quod actiones Personales verè durabiliores, quam actiones in rem, sint. Rittersh. ad §. 1. l. de action. hasque propterea ad temporales referat Boccr. class. 6. disp. 9. n. 44.

Nota  
Generalis

Secundo Actiones perimuntur etiam Ope Exceptionis. Ubi JC. in l. 14. §. 2. ff. de except. rei jud. notabilem inter has actiones proponit differentiam.

Secundo  
quoad  
Infirmationem, qua  
fit  
Ope Exceptionis,  
Differentiam  
etiam  
e. 8

Nempe non minus quidem in Actione Reali, si quis egit limitatè, distinctè, adjectâ, expressâ, in libello causâ, ex qua petit: e.g. traditione fundum suum esse factum: nec obtinuerit, ex alia rursus causa, utut præteritâ, in eandem rem experiri potest, ita ut exceptio rei judicatæ ipsi non obsit, (add. l. 11. §. 2. & 4. ff. eod.) ac id permissum est in Personilibus actionibus.

In quibus quidem id minus dubii habet, cum una & eadem res ex variis causis deberi, & sic peti queat: ut absolutio Rei conventi, à petitione ejus, ex una, libello inserta, causa facta, non possit tribuere exceptionem rei judicatæ adversus eandem ex alia causa de novo petentem, l. 28. §. f. ff. de liber. leg. Sichard. ad l. f. pr. C. de codic. n. 12. Zanger. de Except. p. 3. c. 15. n. 29. Unde pro cautela Dd. in actione in Rem tradunt, ut actor specialem semper exprimat causam, Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 15. th. 3. C. Sutholt. disp. 17. n. 41.

At differentia magna inter has actiones est, si libello conventionis nulla causa inserta, & sic, quoad hoc, actio fuerit instituta generalis absoluta, confusa, & in processu demum ex certa causa prosecutio fuerit facta.

Quod si enim Reali actione simpliciter, sine causæ adjectione, quis egerit: ut si dixerit: Peto me declarari Dominum: vel: Peto me declarari heredem Titij: non adjiciendo, ibi quidem, causam dominii, nempe vel legatum, vel donationem, aut traditionem ex causa ad transferendum dominium habili; hinc verò non exprimendo causam delationis, ex testamento, an ab intestato, facta: tunc universum jus suum in iudicium deduxisse creditur: quod quia sententiâ decisum, generalem & perpetuam rei judicatæ exceptionem parit, ita ut ex nulla alia præterita causa amplius cum effectu agere queat, licet in prosecutione certam de-

inter  
Reales.



*Ad §. 1. & 2. I. de Action. Differ. Action. Real. & Personal.*

deduxerit. Ita notat Glossa ad d. l. 14. §. 2. verb. *actiones.* & ad d. l. 11. §. 1. verb. *si hominem.* ff. de except. rei jud. & eam secutus Sichardus d. l. num. 13.

Quam distinctionem communem esse tradit Dn. Brunnem. ad l. neque 3. C. ad exhib. Et forsan secundum hæc notata intelligi volunt, qui in hujus materiæ tractatione verba textus d. l. 14. §. 2. simpliciter tantum referunt, nihil insuper addentes: quod faciunt C. J. A. π. de except. rei jud. n. 13. Dn Struve, π, eod. num. 22.

Boni ergo & cauti judicis esse dicit Sichard. d. num. 13. cum viderit aliquem imperitum proponere *Realem* indistinctam vel generalem actionem, nulla expressâ causa, eundem interrogare, ex qua causa velit agere.

Sed tamen & boni judicis erit, ut, si videat Actorem exprimendo certam causam in dolo esse & fatigandi adversarii causa hoc facere, eundem removeat; ut ex Zasio notat Bachov. d. l. in fin.

Personales.

Quæ ipsa secus se habent in *Personalibus* actionibus: In his enim, cum una & eadem res, ex variis causis simul, nobis debita esse possit, generalitas libelli talis post restringitur per causæ in progressu expressionem, quâ declarat actor, se ex variis causis, quibus res illa deberi ipsi queat, non nisi hanc in iudicium deduxisse & nunc ventilare. Itaque absolutio Rei non potest eidem tribuere Rei judicatæ exceptionem, si postea ex alia agatur. Gloss. ad d. l. 14. §. 2. verb. *actiones.* Sichard. d. l. sc. cum Effectu; cum replicatione semper perimatur. Gloss. ad d. l. 11. §. 1. verb. *si hominem.*

XXV. & ult.

Hujus actionum divisionis Elogia.

Et hæc de Differentiis Actionum in rem & in Personam primariis, ad exemplum Commilitonis, in hac parte, ductu Dn. Præsidis, colligere volui. Quam actionum distributionem præcipuam, & aliarum quasi fundamentum, appellat Vult. ad d. §. 1. I. de act. n. 2. Summam verò ipse Imperator in d. §. 1. generalissimam & celeberrimam Harpprecht. ad d. §. 1. n. 15. primam ac potissimam Vinn. ad d. §. 1. n. 1. primam, summam, omniumque celeberrimam Rittersh. ad d. §. quæ contineat actiones in omni parte Juris diffusas. Connan. comm. iur. Civ. lib. 2.

6.1, n. 1. & totam ferè Jurisprudentiam dirigat,

Bicc. in R. Q. sect. 5. n. 6.






X 2615913

VD17









13282.

AD FULGENTE JUSTITIÆ SOLE,  
ACTIONUM  
REALIUM ET PERSONALIUM,

1670, 4

Qua constituta & in iudicium  
introducitur,

DIFFERENTIÆ PRIMARIÆ,

Quas

In Nobilissima Tubingensi Universitate

PRÆSIDE

DN. JOH. ANDRÆA Frommann/

U. J. D. & Instit. Imper. Prot. Publ.

Add. 30. Mart.

In Auditorio Iuridico

Publicæ & placidæ disquisitioni subicit

IOHANN DAVID Frisch / Rothenb. Tub.

Tubingæ ANNO 1670.

LITERIS KERNERIANIS.

